

001  
Lsp

Tom 74



16.

*Q. D. B. V.*

POSITIONES PNEVMATICAÆ,

DE

DIVINA IN-  
DEPENDENTIA,

Quas

PRÆSIDE

GEORG. FRIDERICO  
SCHROEERO,

Log. & Metaph. Prof. Publ.

defendet

M. JOH. CHRISTIANUS RÜDIGER,

Aconiens. Saxo.

*Die IV. Mart. Anno M DC XCVI.*

---

WITTENBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SHRÖDTERI, Acad. Typ.



POSITIONES PRIMAMAGICA

DIVINAE  
DEFENDENTIA

GEORG. FRIEDERICIO


SCHROFFERO

Log. & Metaph. Profe Tripl.

M. H. CHARITATIUS RICIGER

DIS. VII. M. V. A. M. DC. YCMI

AT. T. BABERGAE



I. N. F.

I.

**A**bsolute Deoque propria *Independentia* est conceptus Dei primo proprius, quo omnem divinæ *Essentia* causam absolute & simpliciter inficiamur. Duo potissimum sunt, quæ *Independentia* descriptio dilucide proponit, & breviter explicat, unum est pura divinæ originis negatio, alterum est certissima summæ Perfectionis affirmatio. Sicut enim *Dependentia* essentiam ab alio ortam, vel à suis causis protectam denotat, & ad *Independentiam* relata suo modo imperfecta est, ita negat *Independentia* *Dependentia* opposita omnem essentiæ suæ originem, & est summa solique Deo propria Perfectio, quæ cum impropria & pure negativa *Independentia* nullum profecto potest habere commercium. Vid. *Vogelsang. Exercit.*

) ( 2

Theol.

Theol. XII. §. 29. p. 306. Petr. Alling. 8. Erotem.  
Decad p. 257.

II.

Qui *Independentiae* terminum reformidant, & in ejus locum *Sufficientiae* nomen substituunt atque supponunt, illi vim & emphasis in vocum non recte percipiunt, & omne discriminem, quod inter *Sufficientiam* & *Independentiam* omnino magnum est, negligunt atque è medio tollunt. Societate his minime jungitur *Vries*, qui *Exercit.* 4. §. 3. p. 34. Perfectionem, quam divina ponit *Independentia*, *Sufficientiae ad existendum* termino paulo accuratius explicare, sedulo laboravit.

III.

*Independentiam* Dei accurate non exponunt, sed incertis implicant sermonibus, non satis probant, sed vocant potius in dubium, qui de illa copiosius differentes, his Rei minime commodis dicendi utuntur formulis: *Deus se fecit. Deus sui causa est.* Vitii hujus accusavit *Leydeckerus* Loc. 3. Fac. Verit. contr. 10. arg. 2. p. 137. *Turrellum*, reum quoque fecit *Lactantium*, qui Lib. 1. Divin. Instit. p. 18. non satis pie de Deo ita

ita edifferuit. *Fieri non potest*, inquit, *quin id,*  
*quod sit, aliquando esse cœperit; consequens est, ut*  
*quando nihil ante illum fuit, ipse ante omnia ex*  
*se ipso sit procreatus.* Qui vero *Essentiæ divinæ*  
*originem tribuunt, Deum ex Deo & Essentia*  
*realiter diversa componunt, & falsum absur-*  
*dumq; illud approbant consequens, quod Deus*  
*nimirum sit, antequam est, illis simul incumbit,*  
*hoc communissimum cognoscendi Principi-*  
*um: *Impossibile est, idem esse & non esse*, absolute*  
*& simpliciter inficiari.*

#### IV.

*Leydeckerus, Petrus van Mastricht, Revius*  
*& alii docent, quod Cartesius, & omnes hujus*  
*insistentes vestigiis, in eodem cum Lactantio*  
*errore versentur. Hoc ægre ferunt, ipse Car-*  
*tesius Respons. ad Prim. Object. p. 66. Clauber-*  
*gius in Defensione Cartesii. c. 23. §. 7. p. 1014. O-*  
*per. Poiret Lib. 3. c. 4. Cogitation. Ration. p. 180. seqq.*  
*Petrus Allinga 8. Erotēm Decad. p. 254. & quam-*  
*plurimi alii, qui impiam hanc propositionem:*  
*Deus est proprie causa efficiens sui ipsius, expres-*  
*sis suffragiis comprobare aspernantur. Si ve-*

( 3 )

ro fe-

ro ferenda de his Auctōribus est sententia, no-  
strum de illis hoc sit judicium: *Petrus van Ma-  
stricht, Leydeckerus, cæterique Anti-Cartesiani*  
inhārent, pro ut par est, genuinæ verborum  
significationi, à qua nativa verborum indole  
*Cartesius*, suo ingenio nimium indulgens, fæ-  
pius procul recedit. Omnem speciatim ope-  
ram dedit *Poiret*, ut nomen *causæ*, à *Cartesio* ad-  
hibitum, ab adversariis suis, qua potuit fieri cu-  
ra & industria, defenderetur. Si petatur, in-  
quit, quare res illa non tantum est possibilis, sed  
est etiam existens? Cur extra possibilitatis termi-  
nos existentiam actualē habet, vel in eam de-  
venit? Quæ ratio, quæ causa, quæ Perfectio al-  
legabitur? &c. Hæc intricata vero verborum  
expositio desiderium nostrum non explevit.  
Philosophum enim non decet, Deum possibi-  
libus à Poireto descriptis temere anumerare.  
Nec verbis satis expressit, an illa Realitas sive  
Ratio sit ipsum Dei Essendi Principium, quod  
maxime venit in controversiā, & Deum causam  
sui ipsius efficientē constituit: sive an pro nudo  
cognoscendi Principio, quod divina Perfectio-  
ne ni-

ne nititur, haberi debeat. Licet etiam sola argumentandi ratio intelligenda sit, nemo tamen ab omni vitio facile absolvet Cartesium, qui contra genuinum verborum sensum ita nimis impro-  
prie de Deo loquitur: *Quia Deus se revera con- servat, videtur non nimis improprie dici posse sui causa.*

V.

Communi consensu comprobata sententia est: *Deus à se est*, non uno tamen modo ab omnibus Auctoriis semper exposita. *Cartesius Respons. ad Prim. Object. pag. 66. seqq.* *Petrus Allingga 8. Erotem. Decad. pag. 254. seqq.* *Vogelsangius Exercit. Theol. 12. §. 29. pag. 306. seqq.* *Poiret Lib. 3. cap. 4. Cogit. Ration. pag. 180.* *Clanbergius pag. 1014. Oper.* & tot alii statuunt, quod Deus à se sit positive. *Petrus vero van Mastricht in Gangreni Novit. Cartesian. c. 14. p. 276. seqq.* *Leydeckerus in Fac. Verit. Loc. 3. Contr. 10. p. 136.* *Paulus Voetius in Theol. Natur. Reformat. c. 8. §. 1. num. 4. pag. 138. seq.* *Vries Exercit. Rationat. 4. pag. 32.* *Ex Scholasticis Suarezius T. 2. Metaph. Disput: 28. Sect. 1. §. 7. p. 6.* amplectuntur hanc hypothesin: *Deus à se*



*à se est negative.* In explicandis autem his sententiis Auctores inter se non conveniunt. Cartesii adversarii docent, quod illa hypothesis: *Deus à se est positive*, & Deo veram originem adscribat, & Deum sui ipsius causam constituat, quam genuinam verborum significationem, omnes, qui Cartesii tenent partes, fugiunt atque aversantur. Et qui Cartesium sequuntur, sentiunt, quod vera hæc sententia: *Deus à se est negative*, multis laboret imperfectionibus, & Deo nihil aliud attribuat, quod non & ipsi quoque nihilo conveniat. Nos, qui ab omni verborum lusu, quo Cartesiani vehementer delectantur, merito abstinemus, nec circa explicandum Cognoscendi Principium, quod saepius cum Essendi Principio turpiter confunditur, in praesenti versamini, sed omnem potius damus operam, ut satis probemus Deum ab omni Principio liberum atque immunem, hanc quoque sententiam: *Deus à se est negative*, nostram merito facimus, & illam omni cura, studio & labore defendimus atque tuemur.

S. D. G.



Ab: 155 159





5b.

VD 18

VD 17







16.  
B. V.  
PNEVMATICÆ,  
NA IN-  
DENTIA,  
us  
SIDE  
RIDERICO  
DEERO,  
ph. Prof. Publ.  
endet  
ANUS RÜDIGER,  
nf. Saxo.  
no M DC XCVI.  
VBERGÆ,  
H RÖDTERI, Acad. Typ.